Melior est autem castitas celibum quam nuptiarum quarum unam Abraham habebat in usu ambas in habitu. Caste enim coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit sed tunc non oportuit. Item Verius cognoscere prealta dispensatione dei omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti cuius nunc sunt. Sicut Abraham ante placuit in coniugio, sic modo virgines placent in castitate. Servivit ille legi et tempori suo, serviamus et nos legi et tempori nostro in quos fines seculorum devenerunt. Ex hiis apparet quod sancti patres ante legem sine peccato plures habuerunt uxores vel concubinas. Eas enim uxores appellat scriptura non concubinas. Sara enim Rachel et Lya ambe uxores fuerunt non concubine. Si quis opponat quod fidem thori non servaverunt, illi precepto divino in hoc servasse fidem thori quod non aliis sed propriis uxoribus vel ancillis miscebantur.

## Que erat consuetudo sub lege

Talisque fuit consuetudo in hac re ante legem. Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru et aliis quibusdam. Permisit autem divortium fieri dato libello repudii, in quo vir scribebat causas propter quas uxorem repudiabat. Permisit etiam aliam ducere dato priori libello. Non quod propter duritiam cordis eorum permissum est, ut dicitur. Non ut concederet discidium, sed ut tolleret homicidium permisit, scilicet mala ne fierent peiora. Et hoc permittendo non dei iustitiam demonstrant, sed peccatori minuunt culpam.

## Cur licebat plures habere vel non

Sed numquid licebat sub lege plures habere uxores? Audi quod scriptum sit in deuteronomio: Non habebit uxores plurimas que alliciant animum eius. Super quo loco Augustinus ait: Merito queritur an Salomon hoc preceptum preterierit. David autem plures habuit nec preceptum preteriit. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas que alliciant animum. Multiplicare tamen non additur et non declinet cor eius ad alienos. Sed hic intelligitur multiplicatio uxorum prohibita, permissio autem regi plures habere sed non multiplicare. Veniente autem plenitudine temporis quo gratia dei est dilatata, reducta est lex matrimonii ad priorem honestatis institutionem, ut unus uni in figura Christi et ecclesie iungatur. Nec querit electio minimis in successione generis sed perfectione vite et sanctitate sue. Et virginitas sanctificationem perficit et sacerdotibus continentiam indicit. Melior est autem virginitas mentis quam carnis. Unde Ambrosius: Tollerabilius est mentem virginem quam carnem habere. Utrumque bonum est si liceat. Si non liceat, saltem non homini casti sed deo simus. Virgo prostitui potest adulterari non potest. Nec lupanar infamat castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Item Non potest caro ante corrumpi quam mens fuerit corrupta. Item Ysidorus: Non potest corpus corrumpi nisi prius animus corruptus fuerit. Vitanda enim a contagione anima caro non peccat. Unde super huiusmodi cati appetit quod mundi sit, non prius anima fuit corrupta, corpus non posse corrumpi sed peccato. Illud etiam animum advertendum est. Sicut inquit Hieronymus(?) est mori fame quam ydolatris vesci. Ita sanctius est defungi sine liberis quam ex illicito coitu stirpem querere. Virginesque non nascuntur homines sed puniuntur vitia, non fecunditatis. Et ille deus celant honesti et salvum erunt sine cuiuscumque qualitatis homine, dei gratia est. Et eo male utenti male erat